


QUAESTIONES FRIDERICIANAE

...

Ludwig Jeep





880
J445

QUAESTIONES FRIDERICIANAE

SCRIPSIT

LUDOVICUS JEEP

REGIMONTANUS NUPER LIPSIENSIS



AUGUSTAE TAURINORUM

APUD HERMANNUM LOESCHERUM

AN. M.DCCC.LXXXI.

Ex Ephemeridē cui titulus est: « RIVISTA DI FILOLOGIA E D'ISTRUZIONE CLASSICA,
Anno X, fascicolo IV, 1881 » exscriptum.

DIS · MANIBUS
LOBECKII · ET · LEHRSEII
SACRVM

152127

Quamquam Regimontanis plurimi anni sunt propter virorum doctrina moribusque excellentium memoriam celebrandi, tamen hic annus praeter ceteros dignus est, qui praedicetur, quoniam ante centum annos amplissimus vir natus est LOBECKIVS, qui vir Regimonti clarissimum philologiae lumen accendit, et ante annos quinquaginta LEHSIVS divinus grammaticus in academia Albertina ad docendi munus accessit. Quorum virorum memores esse imprimis Fridericiani collegii sodales decet, primum quod maxime semper in nostro collegio severa philologiae disciplina florebat, deinde quod alter illorum virorum ex eo profectus, utriusque autem pius discipulus est qui nunc collegis Fridericianis est praepositus, Albertus Lehnerdtius. Quare volo lectiones et observationes criticas, quae secuntur « Fridericianas » esse et manibus praeclarissimorum virorum sacras, quamquam bene scio vix fieri posse, ut scribendo dignum quidquam eis consequar. At impulit pietas, impulit etiam virorum illorum admiratio, ut opusculum quamvis parvulo ingenio perfectum, elaboratum tamen amore et qua

potui industria amplissimis nominibus tamquam optimis auspicibus ornare auderem.

Atque ut inde quaestio mea proficiscatur, unde totius antiquitatis studiorum principia ducuntur, primus Homerus tractetur.

Constat dogma esse insitum doctis illis, quos Lachmannianis appellant philologi, esse in primo Homeri Iliadis libro diversorum carminum contaminationem neque res sic esse compositas, ut plane inter se cohaereant. Idque cum aliis argumentis tum e v. 493 intelligi putant

ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἐκ τοῖο δωδεκάτῃ γένητ' ἠώς

quem versum defendi suo loco non posse, nisi quid sit, quo 'ἐκ τοῖο' referatur. nihil autem est in superioribus versibus dictum, ad quod pertinet, neque versu Ω, 31 excusatur, ubi similem difficultatem habemus atque hoc loco; nam ne eum quidem versum iusto loco esse patet. Sed ut id omittamus, non convenit temporum ratio, qualem nunc habemus in v. 423-425, cum aliis rebus, quas poeta narravit. Eis enim versibus Iuppiter reversurus esse dicitur duodecimo die, postquam Thetis ad filii colloquium venerat. Et revertitur sane die duodecimo, sed 'ἐκ τοῖο', id quod quo loco nunc legitur tantum potest referri ad Ulixidis expeditionem, quae antea descripta est. Ergo si dies accurate numeramus, cum v. 475-477 dies et nox praeterierit, Iuppiter re vera non duodecimo die post illud colloquium redit, sed die decimo quarto seu quinto. At enim viri doctissimi, peritissimi carminum Homeri ab hac sententia dissentiunt, quorum auctoritatem apud multos hoc tempore plurimum valere intellego. Quid igitur dicunt illi viri? consentiunt rectissime Lachmannum vidisse, sed putant hoc loco temporum rationem non habuisse nec poetam nec auditores.

Quid? num ipsos effugit illa contradictio? an dubitant, num id quod ipsi viderint, alii item perspiciant? vereor, ne qui librum primum Iliadis, qualis nunc est, defendant, cum illas res inter se repugnantes animadverterint, se ipsi re-fellant. Iam vero musae Homeri quae potest medicina inveniri? insani medici sunt, qui aegrotum si vident nunquam plane posse sanari, priusquam mortuus sit, in partes dissecare volunt: sic ne bestiam quidem tractare fas est. Quae cum ita sint, remedia adhibenda vel desperatissimis et ea semper vitanda, quae ipsam mortem afferant. Atque illud in primis iure me semper aegre tulisse puto, quod eo qui nunc est in libro primo rerum ordine Ulixis navigatio interrumpitur non modo exercitus piaculo, sed etiam Briseidis ex Achilles tabernaculo deductione, quae deductio a dei conciliandi consilio prorsus aliena est. Expectaveris enim post exercitus purgationem Ulixis expeditionem ad finem perducere; et id ipsum poetam voluisse certissime puto, cum praesertim videam hunc rerum contextum facillime esse restituendum loco qui legitur v. 430-487 tralato in medium versum 318, ita ut versus 318 initium excipiat exitu v. 430 hoc modo

ὤς οἱ μὲν τὰ πένοντο κατὰ στρατόν· αὐτὰρ Ὀδυσσεύς cet.

Multo vero verisimilior fit res, quod etiam nunc posse videtur intellegi, quomodo carmen simili duarum particularum initio distortum sit. Neque enim dubito, quin post v. 487 poeta superiore versu ex usu Homerico repetito (cf. VII, 442) perrexerit olim (v. 318)

ὤς οἱ μὲν πένοντο κατὰ στρατόν· οὐδ' Ἀγαμέμνων cet.

usque ad v. 428 et 429

ὡς ἄρα φωνήσασ' ἀπεβήσεται, τὸν δ' ἔλιπ' αὐτοῦ
χωόμενον κατὰ θυμὸν ἐυζώνιοι γυναικός.

Quibus versibus iam ea subiungenda esse, quae a versu 493 usque ad finem totius libri leguntur, patet. sunt enim quae incipiunt inde a verbis

ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτη γένετ' ἠώς,
καὶ τότε δὴ πρὸς Ὀλυμπον ἴσαν θεοὶ αἰὲν ἔόντες.

Dimidium versus 430: τὴν ῥα βίη ἀέκοντος ἀπηύρων cum Lachmanno Lehrsii observatione adiuto expungendum, quia speciem additamenti prae se fert, quod a quodam diasceuaista videtur inlatum, ut disiecta carminis membra consuere. Reliquum est, ut de loco qui versus 488-492 complectitur pauca dicam. ego enim existimo eos versus, quos et ipse Zenodotus ἠθέτησε, removendos esse a carmine, in quo neque contio quam Achilles adire neque pugna commemoratur cuius particeps esse potuisset, ut toti libro contradicant ea quae leguntur v. 491-492.

οὔτε ποτ' εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν
οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον.

Satis mihi multa verba fecisse videor, qua ratione esset hoc carmen restituendum: restat, ut de sententiarum contextu qualis exoritur versibus transpositis pauca exponam. Chryseidem postquam Agamemnon dimisit, convocato exercitu omnibusque militibus ad lustrationem adhibitis (v. 308-317) celeriter mandata Agamemnonis peregit Ulixes (v. 430-487). Agamemnon autem, ubi altero die Ulixidis adventum cognovit, Briseidem iubet adduci, qua re permotus Achilles

cum procul ad oram maritimam abiisset, matrem suam Thetin ad Iovem mittit rogatum, ut ipsum ulciscatur (v. 318-429). Postquam id animum advertit, filium suum Thetis relinquit seque die duodecimo ad Olympum confert (v. 493 seqq.). Qua ratione praeterea res sunt ita compositae, ut id quod Achillis mater dixit, deos 'heri' ad Aethiopes decessisse bene conveniat cum isto 'die duodecimo'; nam die postquam filia sacerdoti reddita erat, quominus Thetis cum filio colloquens dicat 'deos', in iis Apollinem et Minervam 'heri' ad Aethiopes profectos esse, nihil prorsus obstat, quoniam causa non est, cur negemus Apollinem cum Graecis reconciliatum eodem die ceteros deos prosecutum esse. Licuit tamen deo usque ad vesperum in Olympo preces Graecorum atque paeanes audire, licuit quoque altero die, ubicumque erat, Graecis ἴκμενον οὔρον mittere.

Atque ita simul efficitur, ut v. 428-429

ὡς ἄρα φωνήσασ' ἀπεβήσεται, τὸν δ' ἔλιπ' αὐτοῦ
χωόμενον κατὰ θυμὸν ἐυζώνοιο γυναικός

recte excipiantur ab isto

ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτῃ γένητ' ἠώς.

Neque vero timeo, ne quis contra me praesentia proferat in v. 389-390

τὴν μὲν γὰρ σὺν νηὶ θοῆι ἐλίκωπες Ἀχαιοὶ
ἐς Χρῦσην πέμπουσιν, ἄγουσι δὲ δῶρα ἄνακτι,

quamquam v. 391 poeta praeterito tempore pergat

τὴν δὲ νέον κλισίηθεν ἔβαν κήρυκες ἄγοντες
κούρην Βρισηός, τὴν μοι δόσαν υἱὲς Ἀχαιῶν.

nam cum desint apud Homerum praesentia historica quae

vocantur, patet hoc loco poetam praesenti tempore dedita opera adhibito exprimere voluisse: Achillem Ulixis expeditionem, utrum iam prorsus peracta esset necne non amplius curasse, cum ira incensus a ceteris sese secrevisset interque Myrmidones suos succenseret Achaeorum rerum incuriosior.

Facile autem intellegitur vitia eiusmodi solis tribuenda esse tribus illis viris, qui Homeri carmina redegerunt Pisistrato iubente, quibus nuper tandem quartum rectissime videtur addidisse Italorum summus philologus Comparetti.

In lectorum faciliorem usum infra versus Homeri eo ordine secuntur, quo ego ponendos arbitror.

Ἄτρείδης δ' ἄρα νῆα θοὴν ἄλαδε προέρυσσεν.
ἔς δ' ἐρέτας ἔκρινεν ἑείκοσιν, ἔς δ' ἑκατόμβην
βῆσε θεῶ, ἀνὰ δὲ Χρυσήϊδα καλλιπάρηον 310
εἶσεν ἄγων· ἐν δ' ἀρχὸς ἔβη πολύμητις Ὀδυσσεύς.
Οἱ μὲν ἔπειτ' ἀναβάντες ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα,
λαοὺς δ' Ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν·
οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο καὶ εἰς ἄλα λύματ' ἔβαλλον.
ἔρδον δ' Ἀπόλλωνι τεληέσσας ἑκατόμβας 315
ταύρων ἠδ' αἰγῶν παρὰ θῖν' ἄλδος ἀτρυγέτοιο·
κνίση δ' οὐρανὸν ἴκεν ἑλισσομένη περὶ καπνῶ.
ὡς οἱ μὲν πένοντο κατὰ στρατόν· αὐτὰρ Ὀδυσσεύς 430
ἔς Χρυσὴν ἴκανεν ἄγων ἱερὴν ἑκατόμβην.
οἱ δ' ὅτε δὴ λιμένος πολυβενθέος ἐντὸς ἴκοντο,
ἰστία μὲν στείλαντο, θέσαν δ' ἐν νηϊ μελαίνῃ.
ἰστὸν δ' ἰστοδόκη πέλασαν προτόνοισιν ὑφέντες
καρπαλίμως, τὴν δ' εἰς ὄρμον προέρεσαν ἑρετροῖς.
ἐκ δ' εὐνάς ἔβαλον, κατὰ δὲ πρυμῆσι' ἔδησαν· 436
ἐκ δὲ καὶ αὐτοὶ βαῖνον ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης,
ἐκ δ' ἑκατόμβην βῆσαν ἐκηβόλῳ Ἀπόλλωνι·
ἐκ δὲ Χρυσῆς νηὸς βῆ ποντοπόροιο. 439
τὴν μὲν ἔπειτ' ἐπὶ βωμὸν ἄγων πολύμητις Ὀδυσσεύς
πατρὶ φίλῳ ἐν χερσὶ τίθει, καὶ μιν προσέειπεν·

« ὦ Χρῦση, πρό μ' ἐπεμψεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
παῖδά τε σοὶ ἀγέμεν, Φοῖβω θ' ἱερὴν ἑκατόμβην
ρέξει ὑπὲρ Δαναῶν, ὄφρ' ἰλασόμεσθα ἄνακτα,
ὃς νῦν Ἀργεῖοισι πολύστονα κήδε' ἐφήκεν ».

445

Ὦς εἰπὼν ἐν χερσὶ τίθει, ὃ δ' ἐδέξατο χαίρων
παῖδα φίλην· τοὶ δ' ὤκα θεῷ κλειτὴν ἑκατόμβην
ἐξείης ἔστησαν εὐδμητον περὶ βωμῶν,
χερνίψαντο δ' ἔπειτα καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.
τοῖσιν δὲ Χρῦσης μεγάλ' εὐχετο χεῖρας ἀνασχῶν·

450

« Κλυθὶ μευ, ἀργυρότοξ', ὃς Χρῦσὴν ἀμφιβέβηκας
Κίλλαν τε Ζαθέην, Τενέδοιό τε Ἴφι ἀνάσσεις·
ἡμὲν δὴ ποτ' ἐμεῦ πάρος ἔκλυες εὐξαμένοιο.
τίμησας μὲν ἐμὲ, μέγα δ' ἴψαο λαὸν Ἀχαιῶν·
ἦδ' ἔτι καὶ νῦν μοι τόδ' ἐπικρήνηνον ἐέλδωρ·
ἦδη νῦν Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἄμυνον ».

455

Ὦς ἔφατ' εὐχόμενος. τοῦ δ' ἔκλυε Φοῖβος Ἀπόλλων.
αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' εὐξάντο καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο,
αὐέρουσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν,
μηρούς τ' ἐξέταμον κατὰ τε κνίσση ἐκάλυψαν
δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὤμοθέτησαν.
καίε δ' ἐπὶ σχίζῃς ὃ γέρων, ἐπὶ δ' αἶθοπα οἶνον
λείβε· νέοι δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπύβωλα χερσίν.
αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο,
μίστυλλον τ' ἄρα τᾶλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.
ὤπτησάν τε περιφραδέως, ἐρύσαντό τε πάντα.

460

466

αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνου τετύκοντό τε δαῖτα,
δαίνυντ', οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς εἴσης.
αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἔντο,
κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο,
νῶμησαν δ' ἄρα πᾶσιν ἐπαρξάμενοι δεπαέσσιν,
οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἰλάσκοντο,
καλὸν αἰείδοντες παιήονα, κοῦροι Ἀχαιῶν,
μέλποντες ἐκάεργον· ὃ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.

470

Ἦμος δ' ἠέλιος κατέδου καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθεν,

475

δὴ τότε κοιμήσαντο παρὰ πρυμνήσια νηός.
ἤμος δ' ἠριγένεια φάνη βόδοδάκτυλος Ἴως,
καὶ τότε ἔπειτ' ἀνάγοντο μετὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν·
τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἴει ἐκάεργος Ἀπόλλων. 479

οἱ δ' ἰστὸν στήσαντ' ἀνά θ' ἰστία λευκὰ πέτασσαν·
ἐν δ' ἄνεμος πρῆσεν μέσον ἰστίον, ἀμφὶ δὲ κύμα
στεῖρη πορφύρεον μεγάλ' ἴαχε νηὸς ἰούσης
ἢ δ' ἔθειεν κατὰ κύμα διαπρήσσουσα κέλευθον.
αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἴκοντο κατὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν,
νῆα μὲν οἷγε μέλαιναν ἐπ' ἠπείροιο ἔρυσσαν 485
ὑποῦ ἐπὶ ψαμάθοις, ὑπὸ δ' ἔρματα μακρὰ τάνυσσαν·
αὐτοὶ δ' ἐσκίδναντο κατὰ κλισίας τε νέας τε.

Ὡς οἱ μὲν τὰ πένοντο κατὰ στρατὸν· οὐδ' Ἀγαμέμνων 318
λῆγ' ἔριδος, τὴν πρῶτον ἐπηπείλησ' Ἀχιλλῆι,
ἀλλ' ὅγε Ταλθύβιον τε καὶ Εὐρυβάτην προσείπεν,
τῷ οἱ ἔσαν κήρυκε καὶ ὀτρηνῷ θεράποντε· 321

« Ἔρχεσθον κλισίην Πηληιάδew Ἀχιλλῆος·
χειρὸς ἐλόντ' ἀγέμεν Βρισηίδα καλλιπάρηον·
εἰ δέ κε μὴ δώησιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἔλωμαι
ἐλθὼν σὺν πλεόνεσσι· τό οἱ καὶ ρίγιον ἔσται »· 325

Ὡς εἰπὼν προίει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλεν.
τῷ δ' ἀέκοντε βάτην παρὰ θῖν' ἀλὸς ἀτρυγέτοιο,
Μυρμιδόνων δ' ἐπὶ τε κλισίας καὶ νῆας ἰκέσθην.
τὸν δ' εὐρον παρὰ τε κλισίῃ καὶ νηὶ μελαίνῃ
ἤμενον· οὐδ' ἄρα τῷγε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς. 330

τῷ μὲν ταρβήσαντε καὶ αἰδομένῳ βασιλῆα
στήτην, οὐδέ τί μιν προσεφώνεον οὐδ' ἐρέοντο·
αὐτὰρ ὁ ἔγνω ἦσιν ἐνὶ φρεσὶ, φώνησέν τε·

« Χαίρετε, κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
ἄσσον ἴτ'· οὐτι μοι ὕμμες ἐπαίτιοι, ἀλλ' Ἀγαμέμνων,
ὁ σφῶι προίει Βρισηίδος εἵνεκα κούρης. 336
ἀλλ' ἄγε, Διογενὲς Πατρόκλεις, ἔξαγε κούρην
καὶ σφωὶν δὸς ἄγειν. τῷ δ' αὐτῷ μάρτυροι ἔστων
πρὸς τε θεῶν μακάρων πρὸς τε θνητῶν ἀνθρώπων

καὶ πρὸς τοῦ βασιλῆος ἀπηνέος, εἶποτε δ' αὐτε 340
 χρειῶ ἐμεῖο γένηται ἀεικέα λοιγὸν ἀμύνη
 τοῖς ἄλλοις. ἦ γὰρ ὄγ' ὀλοίησι φρεσὶ θύει,
 οὐδὲ τι οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
 ὀππως οἱ παρὰ νηυσὶ σοοὶ μαχέοιντο Ἄχαιοί ».
 Ὡς φάτο· Πάτροκλος δὲ φίλῳ ἐπεπείθεθ' ἑταίρῳ, 345
 ἐκ δ' ἄγαγε κλισίης Βρισηίδα καλλιπάρηον,
 δῶκε δ' ἄγειν, τῷ δ' αὐτίς ἴτην παρὰ νῆας Ἀχαιῶν.
 ἦ δ' ἀκέουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν. αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
 δακρύσας ἐτάρων ἄφαρ ἔζετο νόσφι λιασθείς,
 θὶν' ἔφ' ἀλὸς πολιῆς, ὀρόων ἐπ' ἀπείρονα πόντον 350
 πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς·
 « Μητέρα, ἐπεὶ μ' ἔτεκές γε μινυνθάδιόν περ ἑόντα,
 τιμὴν πέρ μοι ὀφελLEN Ὀλύμπιος ἐγγυαλίξει,
 Ζεὺς ὑψιβρεμέτης· νῦν δ' οὐδέ με τυτθὸν ἔτισεν.
 ἦ γάρ μ' Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων 355
 ἠτίμησεν· ἐλὼν γὰρ ἔχει γέρας, αὐτὸς ἀπούρας ».
 Ὡς φάτο δακρυχέων, τοῦ δ' ἔκλυε πότνια μήτηρ
 ἡμένη ἐν βένθεσσιν ἀλὸς παρὰ πατρὶ γέροντι.
 καρπαλίμως δ' ἀνέδου πολιῆς ἀλὸς ἠύτ' ὀμίχλη,
 καὶ ῥα πάροισ' αὐτοῖο καθέζετο δακρυχέοντος, 360
 χειρὶ τέ μιν κατέρεξε, ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν·
 « Τέκνον, τί κλαίεις; τί δέ σε φρένας ἴκετο πένθος;
 ἔξαῦδα, μὴ κεῖθε νόσφ', ἵνα εἶδομεν ἄμφω ».
 Τὴν δὲ βαρυστενάχων προσέφη πόδας ὤκυς Ἀχιλλεὺς
 « οἶσθα· τίη τοι ταῦτα ἰδυίη πάντ' ἀγορεύω; 365
 ψχόμεθ' ἐς Θῆβην, ἱερὴν πόλιν Ἡετίωνος,
 τὴν δὲ διεπράθομέν τε καὶ ἤγομεν ἐνθάδε πάντα.
 καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν υἱεὶς Ἀχαιῶν,
 ἐκ δ' ἔλον Ἀτρείδῃ Χρῦσηίδα καλλιπάρηον.
 Χρῦσης δ' αὖθ', ἱερεὺς ἐκατηβόλου Ἀπόλλωνος, 370
 ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων
 λυσόμενός τε θύγατρα φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα,
 στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἐκηβόλου Ἀπόλλωνος

χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ, καὶ ἐλίσσεται πάντας Ἀχαιοὺς,
Ἄτρεΐδα δὲ μάλιστα δύω, κοσμήτορε λαῶν. 375
ἐνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοὶ
αἰδεῖσθαι θ' ἱερῆα καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα·
ἄλλ' οὐκ Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι ἦνδανε θυμῷ,
ἀλλὰ κακῶς ἀφίει, κρατερόν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλεν.
χωόμενος δ' ὁ γέρων πάλιν ᾤχετο· τοῖο δ' Ἀπόλλων
εὐξαμένου ἤκουσεν, ἐπεὶ μάλα οἱ φίλος ἦεν, 381
ἦκε δ' ἐπ' Ἀργείοισι κακὸν βέλος· οἱ δέ νυ λαοὶ
θνήσκον ἐπασσύτεροι, τὰ δ' ἐπῴχετο κῆλα θεοῖο
πάντῃ ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν ἄμμι δὲ μάντις
εὖ εἰδὼς ἀγόρευε θεοπροπίας ἐκάτοιο. 385
αὐτίκ' ἐγὼ πρῶτος κελόμην θεὸν ἰλάσκεσθαι·
Ἄτρεΐωνα δ' ἔπειτα χόλος λάβεν, αἴψα δ' ἀναστὰς
ἠπέιλησεν μῦθον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστίν.
τὴν μὲν γάρ σὺν νηὶ θοῇ ἐλίκωπες Ἀχαιοὶ
ἔς Χρῦσῃν πέμπουσιν, ἄγουσι δὲ δῶρα ἄνακτι· 390
τὴν δὲ νέον κλισίηθεν ἔβαν κήρυκες ἄγοντες
κούρην Βρισηῆος τὴν μοι δόσαν υἴες Ἀχαιῶν.
ἀλλὰ σὺ, εἰ δύνασαι γε, περίσχεο παιδὸς ἔηος·
ἔλθοῦς Οὐλυμπόνδε Δία λίσαι, εἴποτε δὴ τι
ἦ ἔπει ὤνησας κραδίην Διὸς ἠὲ καὶ ἔργῳ. 395
πολλάκι γάρ σεο πατὴρ ἐνὶ μεγάροισιν ἄκουσα
εὐχομένης, ὄτ' ἔφησθα κελαινεφεῖ Κρονίωινι.
οἷῃ ἐν ἀθανάτοισιν ἀεικέα λοιγὸν ἀμύναι,
ὀππότε μιν ζυγῆσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι,
Ἥρη τ' ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰς Ἀθήνη. 400
ἀλλὰ σὺ τὸν γ' ἐλθοῦσα, θεὰ, ὑπελύσασα δεσμῶν,
ὥχ' ἐκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν Ὀλυμπον,
ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίων' — ὃ γὰρ αὐτεβίβῃ οὐ πατὴρ ἀμείνων —
ὃς ῥα παρὰ Κρονίωινι καθέζετο κύδει γαίων 405
τὸν καὶ ὑπέδδισαν μάκαρες θεοὶ οὐδέ τ' ἔδῃσαν.
τῶν νῦν μιν μνήσασα παρέζο καὶ λαβὲ γούνων,

αἶ κέν πως ἐθέλησιν ἐπὶ Τρώεσσι ἀρήξαι,
 τοὺς δὲ κατὰ πρύμνας τε καὶ ἀμφ' ἄλα ἔλσαι Ἀχαιοὺς
 κτεινομένους, ἵνα πάντες ἐπαύρωνται βασιλῆος, 410
 γνῶ δὲ καὶ Ἀτρεΐδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων
 ἦν ἄτην, ὄτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν ».

Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα Θέτις κατὰ δάκρυ χέουσα
 « ὦμοι, τέκνον ἐμὸν, τί νύ σ' ἔτρεφον αἰνὰ τεκοῦσα:
 αἰθ' ὄφελος παρὰ νηυσὶν ἀδάκρυτος καὶ ἀπήμων 415
 ἦσθαι, ἐπεὶ νύ τοι αἶσα μίνυνθά περ, οὔτι μάλα δὴν·
 νῦν δ' ἅμα τ' ὠκύμορος καὶ οἰζυρὸς περὶ πάντων
 ἔπλεο· τῷ σε κακῇ αἴσῃ τέκον ἐν μεγάροισιν.
 τοῦτο δέ τοι ἐρέουσα ἔπος Διὶ τερπικεραύνῳ
 εἶμ' αὐτῇ πρὸς Ὀλυμπον ἀγάννιφον, αἶ κε πίθηται.
 ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν νηυσὶ παρήμενος ὠκυπόροισιν 421
 μῆνι' Ἀχαιοῖσιν, πολέμου δ' ἀποπαύεο πάμπαν·
 Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
 χθιζὸς ἔβη κατὰ δαίτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἔποντο·
 δωδεκάτῃ δέ τοι αὐτὶς ἐλεύσεται Οὐλυμπόνδε, 425
 καὶ τότε ἔπειτά τοι εἶμι Διὸς ποτὶ χαλκοβατῆς δῶ,
 καὶ μιν γουνάσομαι, καὶ μιν πείσεσθαι οἶω ».
 Ὡς ἄρα φωνήσασ' ἀπεβήσето, τὸν δ' ἔλιπ' αὐτοῦ
 χωόμενον κατὰ θυμὸν ἐυζώνοιο γυναικός.
 Ἄλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτῃ γένετ' ἠώς, 493
 καὶ τότε δὴ πρὸς Ὀλυμπον ἴσαν θεοὶ αἰὲν ἕοντες etc.

Quoniam de vetustissima arte epica verba fecimus, recte nemini ineptum videbitur, quod tetigimus infra etiam epicum quendam posteriorem.

Duentzerus qui primus quod sciam fragmenta graecorum epicorum collegit, Pisandri cuiusdam praeclarum fragmentum protulit ex Zosimo historico (V, 29) : τοὺς Ἀργοναύτας

φασίν ὑπὸ τοῦ Αἰήτου διωκομένους ταῖς εἰς τὸν Πόντον ἐκβολαῖς τοῦ Ἰστροῦ προσορμισθῆναι κρίναί τε καλῶς ἔχειν διὰ τούτου πρὸς ἀντίον τὸν ῥοὺν ἀναχθῆναι καὶ μέχρι τοσοῦτου διαπλευσαι τὸν ποταμὸν εἰρεσία καὶ πνεύματος ἐπιτηδείου φορᾶ, μέχρις ἂν τῇ θαλάσῃ πλησιαίτεροι γένοιτο· πράξαντες δὲ ὅπερ ἔγνωσαν, ἐπειδὴ κατὰ τοῦτον ἐγένοντο τὸν τόπον, μνήμην καταλιπόντες τῆς σφετέρας ἀφίξεως τὸν τῆς πόλεως οἰκισμὸν μηχαναῖς ἐπιθέντας τὴν Ἀργῶ καὶ τετρακοσίων σταδίων ὁδὸν ἄχρι θαλάσσης ἐλύσαντες, οὕτω ταῖς Θεσσαλῶν ἀκταῖς προσωρμίσθησαν, ὡς ὁ ποιητὴς ἰστορεῖ Πίσανδρος ὁ τῇ τῶν ἥρωικῶν θεογαμιῶν ἐπιγραφῇ πᾶσαν ὡς εἰπεῖν ἰστορίαν περιλαβών. Quo loco cum mare, cui Argonautae appropinquant, Hadriaticum fuisse constet idque quin etiam Olympiodorus historicus nominaverit non dubium relinquat Sozomenus ecclesiasticae historiae scriptor non spernendus, pro Θεσσαλῶν seu potius Θετταλῶν haud dubie scribendum est Ἰταλῶν, ut sententia recte procedat. Vidit enim Duebnerus qui paucis septimanis post Duentzerum in fine voluminis editionis Didotianae, quod primo loco Hesiodum a fratre Lehrsii Regimontani recensitum complectitur, eadem fragmenta contulit, repetisse illa Sozomenum idque ut rectissime Duebnerus l. c. contendit ex Olympiodori Silvis, unde extremam partem suarum historiarum etiam Zosimum hausisse inter omnes nunc satis constat. Neuter virorum doctorum cognovit etiam a Plinio H. N. III, 18 ed. Detlefs. similia narrata esse. ‘Deceptos credo, inquit, quoniam Argo navis flumine in mare Hadriaticum descendit non procul Tergeste, nec iam constat quo flumine, umeris travectam Alpes diligentiores tradunt, subsisse autem Histro, dein Savo, dein Nauporto, cui nomen ex ea causa est inter Aemonam Alpesque exorienti’. Quam narrationem ex Pisandri carmine fluxisse nemo negabit, cui notitia est Argonauticorum. Quae cum ita sint, dubitationibus vel coniecturis, utri duorum Pisandrorum, quos no-

vimus, ἠρωικὰ θεογαμίαι vindicandae sint, non amplius opus est; neque enim dubitari potest, quin Suidas s. v. Πείσανδρος carmen illud iuniori Pisandro sub Alexandro imperatore vivente tribuens erraverit, quem errorem quidem nonnulli cognoverunt, sed certis argumentis non comprobaverunt. Idque maximi momenti est, quod Heynius olim in excursu primo ad lib. II Vergilii negaverat carmen Pisandri, quem Vergilio fontem excidii Troiae fuisse Macrobius testatus est, et quod quin idem sit, quod Zosimus commemorat, dubitari nequit, senioris Pisandri esse, sed omnia a Macrobio de ea re exposita temere esse dicta. Kinkelium qui nuper denuo Graecorum epicorum fragmenta collegere coepit, res prorsus effugisse videtur.

Postquam de Homero et poesi epica nonnulla disputavimus, transibimus ad illos, qui τεμάχη τῶν Ὀμήρου μεγάλων δείπνων collegerunt. Atque primum quidem lectores relegamus ad Sophoclis Oedipum Regem qui vocatur v. 420 seqq.

βοῆς δὲ τῆς σῆς ποίος οὐκ ἔσται λιμήν,
ποίος Κιθαιρῶν οὐχὶ σύμφωνος τάχα,
ὄταν καταίσθῃ τὸν ὑμέναιον, ὃν δόμοις
ἄνορμον εἰσέπλευσας εὐπλοίας τυχῶν;

Ut nunc alia omittam, quae interpretationi difficultatem attulerunt, Tiresias caecus vates iam montes, inquit, Oedipi lamentationes repercutient, cum cognoverit nuptias suas, quales sint infaustae neque similes putandae navi in securum quendam portum intranti. Sed ad singula accedamus. Omnes adhuc quantum scio ὑμέναιον tralata notione pro ipsis nuptiis acceperunt, ὃν autem idque quidem accuratius

descriptum ἄνορμον attributo accusativum esse voluerunt interioris obiecti quod grammatici recentiores vocant. Δόμοις denique cum εἰσέπλευσας coniungi solet, ut tamquam meta navigandi significetur. At qualis est illa meta? domus est, inquit poeta. Esto, sed cuius? Lai et Iocastae dixeris. Id tamen non legitur apud poetam. Sunt qui contendunt supplendum esse et facile suppleri posse. Fieri posse prorsus nego; nam si eam supplendi rationem sequeremur, quaelibet ubique ex silentio scriptorum supplere liceret. Neque autem fieri potest, ut δόμοι in universum pro domo accipiantur, quoniam Tiresias commemoratione dignum non potest putare Oedipum omnino domum quandam nuptiis sortitum esse, sed domum illam certissimam, unde ipse natus est. Quocumque igitur δόμων interpretationem vertimus, ad rectam sententiam cum non perveniamus, postquam levi mutatione γάμοις pro δόμοις scriptum est, ὑμέναιον primaria notione carminis nuptialis accepto, hoc modo putamus interpretandum esse: omnes regiones Oedipi clamorem repercutient, cum cognoverit, quo hymenaeo infausto ac tamquam importuoso cantato quamvis felicem navigationem nactus insanarum nuptiarum portum ceperit. Ad γάμοις non opus est supplemento, ut eae nuptiae significantur, in quibus totius fabulae cardines vertuntur. Cf. v. 1403, ὦ γάμοι, γάμοι.

Ad graecarum rerum scriptores pervenimus, ex quorum numero Thucydidem et Xenophontem tractabimus.

Thucydides postquam narravit (II, 6) Thebanos a Plataeensibus captos interfectos esse, pergit: τοῦτο δὲ ποιήσαντες (scil. Πλαταιῆς) ἔς τε τὰς Ἀθήνας ἄγγελον ἔπεμπον καὶ τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀπέδωσαν τοῖς Θηβαίοις. Miserunt igitur Plataeenses legatos; sed ut quid nuntiarent? mortem ni-

mirum Thebanorum, cum non esset alia causa, cur post victoriam Athenas mitterent. At id non nuntiaverunt, nam infra Thucydides ipse testatur duos nuntios Athenas missos esse, quorum neuter Thebanorum mortem in notitiam Atheniensium pertulerat, ut eorum legatus cum Plataeas venisset, praeter expectationem mortuos inveniret. Quid? tertius nonne dimitti potuit a Plataeensibus? potuit sane, concedo, sed non missus est, nam aut Athenas re vera venisset: tum Athenienses non ignari fuissent Thebanorum interfectionis (cf. infra); aut si non advenisset id tantum reliquum esset, ut praeconi Atheniensium eum obviam factum esse putaremus; quod si fuisset verum, praeco ad Thebas viam neque perfecisset neque id Thucydides silentio praetervectus esset.

At narrat: οὐ γὰρ ἠγγέλθη αὐτοῖς (= Ἀθηναίοις), ὅτι τεθνηκότες εἶεν (scil. Θηβαῖοι): ἅμα γὰρ τῇ ἐσόδῳ γιγνομένη τῶν Θηβαίων ὁ πρῶτος ἄγγελος ἐξῆι, ὁ δὲ δεύτερος ἄρτι νενικημένων τε καὶ ζυνειλημμένων· καὶ τῶν ὕστερον οὐδὲν ἤδεσαν. οὕτω δὴ οὐκ εἰδότες οἱ Ἀθηναῖοι ἐπέστελλον· ὁ δὲ κήρυξ ἀφικόμενος ἤυρε τοὺς ἄνδρας διεφθαρμένους. Quae cum ita sint, vitium latet in τὰς Ἀθήνας, cuius loco scribendum est τὰς Θήβας, ut h. l. nuntius significetur missus qui interfectos esse Thebanos traderet.

In pestilentia describenda Thucydides, II, 48, 3: λεγέτω μὲν οἶον, inquit, περὶ αὐτοῦ ὡς ἕκαστος γινώσκει καὶ ἰατρὸς καὶ ἰδιώτης, ἀφ' οὗτος εἰκὸς ἦν γενέσθαι αὐτὸ καὶ τὰς αἰτίας ἄστινας νομίζει τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι δύναμιν [εἰς τὸ μεταστῆναι] σχεῖν. Quo loco cum verba τοσαύτης μεταβολῆς ita sint comparata, ut a relativo dependere possint (cf. Krueg, 47, 9, 5), ita tamen non comparata sint, ut eorum notio accurate sit disiungenda a notione verbi μεταστῆναι quod sequitur, sed tautologia exoritur, quae ferri nequeat, quis dubitabit, quin haec tanta 'mutandi' verborum

coacervatio, quae nobis hoc loco offertur, in contextum librarii interpolatione irruerit? At de illorum verborum relatione de quibus nunc agitur, doctus Thucydidis interpretum Nestor ita exposuit, non ut in enuntiatione relativa ea verba posita esse videantur, sed ut videantur dependere a τὰς αἰτίας. Sed tamen vir peritissimus Thucydidis interpretationis, cum τῶσαύτης μεταβολῆς de ἄστινας pendeat, illa verba manere semper partem enuntiati relativi negare non poterit, ut etiam tautologia in eo remaneat, praesertim cum propter ea quae secuntur non possit dubium esse, ad quamnam rem ἰκανὰς αἰτίας scriptor referre voluerit. Quare quamquam viri doctissimi auctoritatem etiam apud me plurimum valere confiteor, tamen in hac causa interpretandi viam mihi intrandam esse putavi, quam post Gesnerum Stahlius denuo nobis praeivit, qui nuper peregre Thucydidis libros recensuit. Qui vir doctissimus eadem haud dubie ratione perductus, quam supra demonstravimus, in adnotatione critica iure reiecto exemplo, quod Poppo olim ad locum nostrum defendendum ex Thuc., VI, 20 attulerat, interpretamentum esse iudicavit δύναμιν ἐς τὸ μεταστῆσαι σχεῖν et inclusit.

Multo vero id magis laudaverim, quia ne Reiskio quidem divo illi Lipsiensi philologo contigit, ut καὶ post εἶναι interiecto sententiam restitueret; nam qui locus ex Demosthenis oratione Olynthiaca (II, § 13) a Wyttenbachio collatus est, πολλὴν δὴ τὴν μετάστασιν καὶ μεγάλην δεικτέον τὴν μεταβολὴν, eum locum dico prorsus alienum esse ab eo, de quo agitur, quoniam cum Demosthenes oratoris gravitate usus copiosius saepe soleat loqui, Thucydides res gestas graviter sane narrat, sed procul ab illis verborum ornamentis, quae spectant ad forensem usum et publicum. Reliquum est, ut id paucis exponamus, quod in Stahlii lectione vituperandum esse putamus. Est sane interpretamentum quoddam removendum,

sed cavendum, ne nimia resecemus. Si quid est in me iudicii, aut τοσαύτης μεταβολῆς aut ἐς τὸ μεταστῆναι expungenda sunt; cur reliqua verba δύναμιν σχεῖν in suspicionem vocemus, causa non est, cum iis tautologia efficiatur nulla. Utrum autem eorum expungendum sit, non difficile est ad intellegendum. Ego enim existimo, alterum esse interpolatum, quo remoto, postquam τοσαύτης μεταβολῆς cum δύναμιν coniunximus, optima sententia evadit; nam indicantur causae, quas aptas esse putant, quae facultatem habuerint tantae mutationis.

Et quoniam de rerum scriptorum principe egimus, unum quoque locum tractabimus Xenophontis anabasis, qui difficillimus est habendus.

Quo loco graecorum transitus in Carduchos describitur, legitur, IV, 2, 6: μαστὸς ἦν ὑπὲρ αὐτῶν παρ' ὄν ἦν ἡ στενὴ αὐτῆ ὁδός, ἐφ' ἣ ἐκάθηντο οἱ φύλακες· ἔφοδος μέντοι αὐτόθεν ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἦν οἱ ἐπὶ τῇ φανερᾷ ὁδῷ ἐκάθηντο. Carolus Schenkelius, *Annal. Vindob. Acad.*, 1869, p. 606: στενὴν ὁδὸν eandem esse voluit atque φανεράν ὁδόν, ut φύλακες et πολέμιοι non essent diversi. Quod si recte dixisset vir doctus, eodem iure παρ' ὄν — οἱ φύλακες interpolationem expunxisset. At cum Vollbrechtio, *Ann. Fleck.*, 1874, p. 622 altera via ab altera accuratissime discernenda est, cum sit στενὴ ὁδός, quam viam voluntarii Graecorum intraverant Carduchos circumveniendi causa, φανεράν autem ὁδός supra nominetur μία αὐτῆ ὁδός ἦν ὄρας ὀρθία, in qua φυλάττουσι τὴν ἔκβασιν (IV, 1, 20). Quam rem vir doctus mathematicorum subtilitate demonstrare potuisset, si (IV, 2, 8) contulisset, ubi Cheirisophum copiis progredientem legimus ἄνω κατὰ τὴν φανεράν ὁδόν. Age vero qualis sit στενὴ ὁδός consideremus. Xenophon enim ipse (IV, 2, 13) de suo itinere narrat ἐπὶ πολὺ δ' ἦν τὰ ὑποζύγια ἅτε διὰ στενῆς τῆς ὁδοῦ πορευόμενα, quam viam non esse diversam ab altera

via, in qua hostium custodes stationem habebant, verba nos docent, quae ibid. § 9 leguntur Ξενοφῶν δὲ — ἐπορεύετο ἤπερ οἱ τὸν ἡγεμόνα ἔχοντες.

Cave ne credas cum Schenkelio viro doctissimo nostrae sententiae ea repugnare quae ibidem secuntur εὐοδωτάτη τοῖς ὑποζυγίοις; nam iumenta alterum post alterum etiam in angustiis satis commode progredi posse patet, quae ascensu non difficiles sunt. Iam vero viis accurate distinctis etiam Breitenbachii conatum, *Zeitsch. Gymn.*, 1868, p. 59 seqq. praeterire possumus, qui idem duas illas vias diversas esse negavit.

Reliquum est, ut de ἔφοδος quam definire nemo conatus est, pauca exponamus. In tabulis pictis Vollbrechtius, l. c., p. 620 et in editione sua, Rehdanzius in adnotationibus στενήν ὁδὸν et ἔφοδον secrevisse videntur. Languescit tamen ista sententia silentio Xenophontis multo magis quam aliis rebus refutata; nam tale trivium, si illo loco vere fuisset, Xenophon facere non potuit, quin commemoraret. Quid multa? brevissime dicam, ἔφοδον aditum esse, quem στενή ὁδός ad illos, οἱ ἐπὶ τῇ φανερᾷ ὁδῷ ἐκάθηντο, eis dabat qui στενήν ὁδὸν fecerant.

Novam autem difficultatem praebet ibid. § 9. Dicit enim Xenophon de se ipso: ἐπορεύετο ἤπερ οἱ τὸν ἡγεμόνα ἔχοντες· εὐοδωτάτη γὰρ ἦν τοῖς ὑποζυγίοις (cf. 1, 24), quae eadem res 2, § 10 repetitur hisce verbis: καὶ αὐτοὶ μὲν ἂν ἐπορεύθησαν ἤπερ οἱ ἄλλοι, τὰ δὲ ὑποζύγια οὐκ ἦν ἄλλη ἢ ταύτη ἐκβῆναι. Verbis, quae postremo loco descripsimus, etiam narrationis contextus prorsus interrumpitur. Xenophon enim hostibus in clivo viae imminente inventis timet, ne milites dimoverentur ἀπὸ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων id est ab reliquis Graecis, quos Cheirisophus altera via secum duxerat. Errare patet, si qui hoc loco apud Xenophontem excusationem viae exspectent. Verbis igitur quibus Xenophon ti-

morem expressit, ne a Cheirisopho intercluderetur, statim subiungenda sunt ea quibus Xenophon narratur milites cohortatus esse, ne se admodum animo dimitterent, sed impetum in clivum facerent. Idque suadet etiam particula ἔνθα δὴ, unde incipit alterum enuntiatum. Quae cum ita sint inclusis iis quae interpolata puto atque spuria esse, locum hoc modo scribo (§ 10): πορευόμενοι δ' ἐντυγχάνουσι λόφῳ ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ κατειλημμένῳ ὑπὸ τῶν πολεμίων, οὓς ἢ ἀποκόψαι ἦν ἀνάγκη ἢ διαζεῦχθαι ἀπὸ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων. [καὶ αὐτοὶ μὲν ἂν ἐπορεύθησαν ἠπερ οἱ ἄλλοι. τὰ δὲ ὑποζύγια οὐκ ἦν ἄλλη ἢ ταύτη ἐκβῆναι]. ἔνθα δὴ παρακελευσάμενοι ἀλλήλοις προσβάλλουσι πρὸς τὸν λόφον cet. Schenckelio autem teste utor, qui praeclara dissertatione l. c., p. 613 seqq., plurimis exemplis docet, quam multis locis Xenophontis scripta interpolationibus foedata sint.

Hoc loco Demosthenis locum sequi volui simili modo sanandum, qui legitur prima oratione in Philippum habita § 20: καὶ τροφήν ταύτη πορίσαι κελεύω· ἔσται δ' αὕτη τίς ἢ δύναμις καὶ πόση καὶ πόθεν τὴν τροφήν ἔξει καὶ πῶς ταῦτ' ἐθελήσει ποιεῖν, ἐγὼ φράσω, καθ' ἕκαστον τούτων διεξιῶν χωρὶς. Habemus igitur hoc loco enumerationem earum rerum, quas orator clarissimus infra tractaturus est. Atque primum quidem interrogationi ἔσται δ' αὕτη τίς ἢ δύναμις; locus respondet qui legitur infra inde a verbis ξένους μὲν λέγω, deinde alteri πόση; inde a λέγω δὴ τοὺς πάντας στρατιώτας δισχιλίους. De duabus denique postremis quaestionibus agitur inde a πόθεν δὴ τούτοις ἢ τροφή γενήσεται; Quae cum ita sint, non intellegitur, quid sibi verba velint, quae partitioni supra praemittuntur καὶ τροφήν ταύτη πορίσαι κελεύω: sunt enim praeter omnem conexum cum iis quae secuntur. Nequaquam vero coniungi possunt cum verbis antecedentibus. Postulat enim Demosthenes superiore oratione δύναμιν, ἢ τῆς πόλεως ἔσται, κἂν ὑμεῖς ἓνα κἂν πλείους κἂν τὸν δεῖνα καὶ

όντινοῦν χειροτονήσητε στρατηγόν, τούτω πείσεται καὶ ἀκολουθήσει. Cui postulationi subiungi non possunt illa verba, quae sequi iam diximus καὶ τροφήν ταύτη πορίσαι κελεύω cum in verbis commemoratis insit non ferenda πρόληψις tertiae particulae divisionis quae sequitur. Ergo nihil restat, quam ut illa verba καὶ τροφήν ταύτη πορίσαι κελεύω exprungamus. Est enim lemma, quod librarius quidem in margine notavit sive ad eum locum, quem supra descripsimus, sive ad § 22 πῶθεν — γενήσεται.

In transcurso denique commemoro vix sanum esse in § 21 τὸν αὐτὸν τρόπον. Ut enim superiore loco Demosthenes voluit στρατιώτας χρόνον τακτὸν στρατευομένους nulla re de bellandi ratione addita, sic puto eum etiam infra equites significasse non τὸν αὐτὸν τρόπον, sed τὸν αὐτὸν χρόνον στρατευομένους. Sed haec hactenus de Demosthene.

Ne desint christiani inter paganos, nonnulla de ecclesiasticis graecis scripsi, quos quod viri docti qui illius aetatis res gestas conscripsere, nimis neglexerunt, studiis historicis detrimento fuit maximo.

Et vetus quidem est controversia, uter prior scripserit historiam ecclesiasticam, Socrates an Sozomenus? Uterque enim eadem tempora enarravit, praeterea consentit alter cum altero non modo in rebus earumque ordine, sed etiam non paucis locis fere verbo tenus. Valesius doctissimus ille Gallorum caudidicus, ut decebat virum a Societate Jesu profectum, credo, inquit, Socratem Sozomeni auctorem fuisse, neque fidem suam argumentis comprobavit. Prorsus vero nihil profuit Holzhausenus, qui libellum academico praemio Georgiae Augustae ornatum eumque tamen deterrimum edidit qui ne dignus quidem est, cuius titulum hoc loco

commemoremus; voluit autem utrumque scriptorem eundem fontem adhibuisse. Valesii sententiam denuo nuper exceperunt Gueldenpenning (Theodosius Magnus imperator, scripserunt Gueldenpenning et Ifland 1878) et Sarrazinus (de Theodoro Lectore in commentt. phil. Ienens, 1881, p. 166) paulo confidentius. Sed etiam Gueldenpenning vir sane summae industriae id tantum demonstravit scriptores illos miro modo nonnullis locis inter se convenire. Omnes effugit Socr., I, 10 et Sozom., I, 22. Quibus locis controversia tandem diiudicatur secundum Valesium. Socrates enim postquam l. c. narratiunculam quandam colloquii inter Constantinum imperatorem et Acesium episcopum commemoravit, Τούτων, inquit, οὔτε ὁ Παμφίλου Εὐσέβιος, οὔτε ἄλλος τε ἐμνημόνευσε πώποτε· ἐγὼ δὲ παρὰ ἀνδρὸς ἠκουσα οὐδαμῶς ψευδομένου, ὃς παλαιὸς τε ἦν σφόδρα καὶ ὡς ἱστορήσας τὰ κατὰ τὴν σύνοδον ἔλεγεν. Expectaveris quidem apud Sozomenum rem praetermitti. Immo vero, etiam apud Sozomenum legitur neque is verborum convenientia caret. ‘Eccum quem quaeris’ fraudulentum homunculum.

Hoc quod sequitur satis luculentum omnibus exemplum numeralium corruptionis esse duxi. Hausit enim non pauca Sozomenus ex Philostorgio, cuius membra quod misere tantum mutilata nunc habemus, valde dolemus. Locus autem de Joviani morte apud Philostorgium frgm. VIII, 8, legitur hic: αὐτὸς δὲ μετὰ τοὺς ὑπολειφθέντας καταλαμβάνει τὰ Δαδάστανα· ἐν τινι δὲ κατάλυσας σταθμῶ καὶ τροφῆς μετασχὼν ἐν οἰκήματι τινι ἄρτι κεκονιαμένῳ κατακλίνεται· πρὸς ὕπνον. πυρὸς δ’ ἀναφθέντος, ὥστε ἀλέαν ἐγγενέσθαι τῷ οἰκήματι, νοτὶς μὲν τῶν νεοσχρίστων τοίχων ἀνεδίδοτο· ἡρέμα δὲ διὰ τῶν ῥινῶν παραδυσομένη καὶ τοὺς ἀναπνυστικoὺς πόρους ἐπιφράττουσα καὶ ἀποπνίγουσα διαφθείρει τὸν βασιλέα.

Sozom. VI. 6, de eadem re scripsit: ἔξαπίνης ἐν Δαδαστάνοις χωρίῳ τῆς Βιθυνίας καθ’ ὄδον ἐτελεύτησεν· ἡ ἀφειδέστερον

ὡς τινες λέγουσι, δειπνήσας ἢ ὑπὸ τῆς ὀδμῆς τοῦ οἰκήματος ἐν ᾧ ἐκάθειδεν, ἀσβέστῳ προσφάτως ἐγχρισθέντος· ἐπιγενέσθαι γὰρ ἰκμάδα καὶ νοτισθῆναι τοὺς τοίχους ἀμέτρως. πολλῶν ἀνθρώπων αὐτόθι καιομένων. ὡς ἐν ὥρᾳ χειμῶνος διὰ τὴν ἀλέαν.

Qui scriptorum consensus multo magis cognoscitur, si comparatur Marcellini locus xxv, 10, 12, qui non prorsus cum illis convenit: 'cum enim venisset Dadastanam, qui locus Bithyniam distinguit et Galatas, exanimatus inventus est nocte. super cuius obitu dubietates emersere complures. fertur enim recenti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequivisse, vel extuberato capite perisse succensione prunarum immensa aut certe ex colluvione ciborum avida cruditate distentus'. (Cf. Aur. Vict., ep. c. 44 cruditate stomachi, tectorio novi operis gravatus repente interiit).

At summa tamen differentia inter Philostorgium et Sozomenum eodem loco intercedit, ut primo obtutu comparatio, quam fecimus, irrita videatur. Subiungit enim Philostorgius διανύσαντα ἐν τῇ βασιλείᾳ μῆνας ἑγγὺς δέκα, cum Sozomenus loco, quem descripsimus, praemittit ὁ δὲ Ἰοβιανὸς ἀμφὶ ὀκτῶ μῆνας ἐν βασιλείᾳ διαγενόμενος (scil. ἐτελεύτησεν). Locus Philostorgii autem corruptus est, quae corruptio de itacismo qui vocatur posteriorum Graecorum a nobis deducitur. Signa enim numeralium ι' et η' sunt, quae eodem modo illis temporibus pronuntiata et audita a quodam librario inter se oculis quoque commutata sunt. Cf. de mensium numero Zosim., III, 35, μῆνας μὲν ὀκτῶ βασιλεύσαντι (sc. mors venit) et Eutr., X, 18, minus accurate 'decessit imperii mense septimo'. Et quoniam Zosimi est facta mentio, qui Eunapium descripsit cum aliis locis, tum eo loco, quem commemoravimus, etiam pauca dicemus de Philostorgio qui Eunapium legisse videatur. fuit enim constans usus ecclesiasticis graecis paganorum historias eorumque etiam pervicacissimorum legendi, quam rem cum Rosen-

steinus accurate demonstravit de nono Sozomeni libro, tum ego demonstrabo opuscolo peculiari paulo post in aedibus B. G. Teubneri proferendo. Sed si accurate quaerimus, cur etiam Philostorgium putaverimus in rebus profanis, quae dicuntur, scribendis hausisse ex Eunapio, causam reperiemus verissimam: quod Theodosii Magni ingenium et naturam aequae condemnavit, ac Zosimus fecit seu potius Eunapius, cuius verba ipsius nonnulla ea de re facta in Suidae lexico conservata sunt. Cf. Mueller, *Frg. hist. gr.*, IV, p. 36, 49. Dicit autem is qui excerpta ex Philostorgio confecit: ταῦτα λέγων ὁ δυσσεβῆς περὶ τοῦ εὐσεβεστάτου Θεοδοσίου οὐκ αἰσχύνεται κωμῶδειν αὐτὸν ἐπ' ἀκρασίᾳ βίου καὶ τρυφῆς ἀμετρίᾳ, δι' ἣν αὐτὸν ἀλῶναι γράφει καὶ τῷ τοῦ ὑδέρου νοσήματι. Ad quem locum velim lectores conferant praeter ea quae Muellerus, l. c., commemoravit, Zosim., IV, 50, qui de Theodosio dixit: φύσει γὰρ ὦν ἐκμελῆς ῥαθυμία τε πάσῃ ἐκκείμενος et paulo inferius καθιστάμενος εἰς ἀνάγκην σαλεύειν κατὰ τι τὰ καθεστῶτα προσδοκωμένην ἀπετίθετο μὲν τὴν ῥαθυμίαν καὶ τῇ τρυφῇ χαίρειν εἰπὼν cet. Cf. Gueldenpenning, *Ifland*, l. c., p. 236 (de veritate eius iudicii). Frustra Sudhausius contendit, ut ea similitudo, quae inter Ammianum et Zosimum (i. e. Eunapium) intercederet, inde orta esset, quod uterque eorum Oribasium medicum illum Iuliani praeclarissimum, qui sibi in bello Parthico ὑπομνήματα notaverat, excripsisset. Iure enim Th. Opitz (Ritschl., *Act.* II, p. 260, adn. 83): 'Ei, inquit, sententiae hoc obstat, quod Ammiano et Zosimo etiam de rebus ceterorum principum convenit, Oribasii autem ὑπόμνημα res unius Iuliani complexum esse videtur'. Ergo ad Martini sententiam revertamur necesse est, qui multis locis Eunapium Ammiani vestigiis insistere recte iudicavit. Quae cum ita sint, non mirum est, quod quibus locis Sozomenus plus habet quam auctor suus Socrates ecclesiasticus cum Ammiano

saepius consentit. Neque enim dubito, quin id plerumque factum sit eo, quod Sozomenus Philostorgium legerit, qui Eunapio usus est. Quomodo diiudicandum sit de praeclaris illis ecclesiasticorum locis qui ad Ulphilam episcopum pertinent Maroldius Fridericiani collegii 'Gothicus' peculiari libro iam est explicaturus.

Sed restant alia, quae ad Latinos scriptores pertinent.

Et primum quidem locus Ciceronianus a me tractabitur, qui legitur in oratione de imperio Cn. Pompei, § 18. Quo loco nunc ex Mommseni auctoritate apud Kayserum 'etenim illud parvi refert, nos republica his amissis [vectigalia] postea victoria recuperare'. Quamquam in Mss. traditur 'nos publicanis amissis vectigalia postea victoria recuperare'. Quae verba ut rectam sententiam efficiant, tantum abest, ut ne verti quidem possint. Quid hoc loco Cicero sibi voluerit, si quid video, non potest dubium esse. Dixit enim, si ea quae res publica ex Asia cotannis in publicum usum accepisset, perdidisset, postea Mithridate victo recuperasset, tamen facultates eorum, qui in Asia pecunias magnas conlocatas habuissent, non restitui, cum eorum fides et pecunia semel periisset. Quare gravioribus mutationibus, quas praeter Mommsenum alii conati sunt, non opus est, sed scribendum est, lenissima litterarum mutatione 'etenim illud parvi refert, nos publicis agris amissis vectigalia postea victoria recuperare'. Sententia, quae desideratur, eo modo efficitur. Iam enim, inquit Cicero, parvi refert, nobis qui rempublicam representant, publicis agris primum bello amissis, sed postea victoria recuperatis vectigalia, quae ex illis agris in aerarium confluunt, denuo comparari, nam eo modo nequaquam restituuntur privatorum et maxime quidem

publicanorum res semel amissae. Sic igitur probatur id quod praecedit: humanitatis futurum esse populi magnum numerum civium, qui in Asia provincia pecunias collocaverant, a republica non seiunctum putare. Γένεσις quae vocatur corruptelae quamvis antiquae facillime cognosci potest: scriptum olim erat, ut fit etiam in inscriptionibus, PVBL. AGRIS vel PVBL. AGR. quod compendium posterioris aetatis librarius non perspexit ut pro uno vocabulo legeret et in PVBLICANIS corrumperet. Potuit quoque fieri, ut vitium evaderet ex 'publicis agris' minusculis litteris exarato sillaba 'is' postquam casu quodam vel librarii temeritate omissa est, duabus voculis in unum contractis.

Nuper legi secundi Titi Livi c. 30 'Multis, ut erat, horrida et atrox videbatur Appi sententia; rursus Vergini Larciique exemplo haud salubres, utique Larci putabant sententiam, quae totam fidem tolleret'. Quem locum interpolatum esse viderunt omnes fere qui Livium ediderunt. Sunt enim qui verba 'putabant sententiam' a contextu putent esse removenda, ut quamvis Vergini Larciique sententiae haud salubres fuerint, tam noxia Larci sententia videatur fuisse, quae totam fidem tolleret. Sunt quidem quoque qui nullam censeant in hoc loco inesse corruptionem, sed interpretandum esse: quamquam Vergini Larciique exemplo haud salubres videbantur sententiae, tamen Larci sententiam talem esse putabant, ut totam fidem tolleret. At in utraque earum lectionum duplex illa Larci nominis repetitio maxime offendit, cum primo loco 'haud salubris' eius sententia nominetur, altero autem multo gravius 'quae totam fidem tolleret'. Id ferri nequit, cum praesertim Appi Vergini Larci sententias, sicut singulae antea enumeratae sunt, ita hoc capite singulas a scriptore recensitas esse contextus facile doceat. Quae cum ita sint, non dubito uncis includere 'Larciique' et 'salubres' mutare in 'salubris', ut

illa quam deesse supra diximus, sententiarum distinctio efficiatur. Sed ne sic quidem locus sanatur, sive priorem quam commemoravimus rationem interpretandi sequimur, sive alteram; nam cum scriptor dicat Larcii sententiam, quae totam fidem tolleret, omnino non potuisse accipi, ita ut patres eam prorsus statim reicerent, vocabulum desideratur, quod 'multis' respondeat et 'omnes' significet. Si tale quid deesset, locus de ea sententia deflecteret, quam Livium exprimere voluisse patet: nemini Larci propositum placuisse. Ex 'multis' enim ad ea quae secuntur, nihil liceret supplere, nisi iterum 'multi', quae res eo non mutatur, quod 'utique' particula addita est. Ergo in 'utique' latere puto 'cunctique' saepissime compendio 'cūctique' in Mss. exaratum et pro 'putabant' scribendum esse 'repudiabant', quod ante me etiam ab altero quodam scriptum nuper vidi. Id autem rectissime factum esse propterea pro certo habeo, quod verba 'utique Larcii putabant sententiam, quae totam fidem tolleret' prorsus a latinitatis usu abhorrere videtur. Restat, ut locum qualis a me legitur, infra describam: 'Multis, ut erat, horrida et atrox videbatur Appi sententia; rursus Vergini exemplo haud salubris, cunctique Larcii repudiabant sententiam, quae totam fidem tolleret'.

Legenti mihi deinde permirum videbatur, quod editores initium capituli XL eiusdem libri silentio praeterierunt vel pauca modo dixerunt, quae interpretationem parum adiuvant. Nunc enim legitur ille locus hoc modo: 'tum matronae ad Veturiam matrem Coriolani Volumniamque uxorem frequentes coeunt, id publicum consilium an muliebris timor fuerit, parum invenio'. Quid? num putemus Livium frequentem matronarum conventum dixisse 'esse' publicum consilium vel timorem muliebrem? Id fieri potuisse omnino negamus; nam tantum abest, ut ille conventus consilium vel timor quidam 'sit', ut consilio vel ti-

more quodam 'efficiatur'. Quare iam ne caecum quidem loci corruptela, ubi sit, effugerit. Latet enim in 'fuerit' pro quo scribendum est 'fecerit', ut loci postrema particula sic legatur 'id publicum consilium an muliebris timor fecerit, parum invenio'. Sana illo modo evadit sententia: Livium apud scriptores quos adhibuit, non invenisse, utrum illum Romanarum matronarum conventum effecisset reipublicae consilium an timor mulierum.

Sed haec hac tenus.

Scripsi quae potui, non ut volui, sed ut ingeni tenuitas concessit. Quamquam quid multa? gaudeo me qui nuper Lipsiensis eram, iam iam esse Regimontanum, ut quodam iure licuerit praeclarissimos illos viros celebrare. Γέρας quidem esse ὀλίγον bene scio; utinam φίλον sit divis illis viris.

INDEX RERUM TRACTATARUM

Homeri, lib. I	<i>pag.</i> 5 seqq.
Pisandri, fragm.	» 15 seqq.
Soph., Oed. R., v. 420 seqq.	» 17 seq.
Thucydid., II, 6	» 18 seq.
Thucydid., II, 48	» 19 seqq.
Xenoph., Anab., IV, 2, 6	» 21 seqq.
Demosth., Philipp., I, § 20	» 23 seq.
Sozomenus Socratem excripsit	» 24 seq.
Sozom., VI, 6 et Philostorgius, VIII, 8	» 25 seq.
Sozom. Philostorgium legit	» <i>ibid.</i>
Ennapius et Philostorgius	» 26 seq.
Sozomenus et Ammianus	» 27 seq.
Cic., De imp. Gn. Pomp., § 18	» 28 seq.
Liv. II, 30	» 29 seq.
Liv. II, 40	» 30 seq.

